

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO  
DE  
USU ASTRONOMIÆ IN MEDICINA,  
cujuſ

PRÆLIMINARIA DE INFLUXU CORPORUM CÆLESTIUM  
SYSTEMATIS NOSTRI SOLARIS IN TELLUREM NGSTRAM MEDIANTE VILU-  
MINARIA ET MAGNETICA,

PLACIDO DISSENTIENTIUM EXAMINI SUBMITTIT  
STEPHANUS BIORNONIUS

ISLAND.  
DEFENDENTE  
PRAESTANTISSIME JUVENE  
OTTHONE JOHANNÆO  
S. S. THEOL. STUDIOSO.  
In AUDITORIO



DIE 3<sup>o</sup> JUNII 1759.

HAFNIE, TYPIS NICOLAI MÖLLERI.

பிரமாணநிதி மூலக்கீழ்  
Imprimatur,  
Bernhard Möllmann.





### §. 1.

**C**um a Metaphysicis omnibus jam dudum sit rigorose demonstratum, Contradictionem involvere corpus aliquod in aliud distans. hoc est, nulla prorsus materia; Sed absolute vacuo interjecto, agere; tuto id, ad quaslibet corporum mundanorum Species, transfertur, & hinc quoque de corporibus mundi totalibus legitime infertur: ea aut in se mutuo non agere; aut si in se mutuo agant, id non fieri per distans, hoc est, absolute continuoque vacuo inter posito; Sed per materiam quendam interjectam. Valet ergo haec propositio hypothetica: Si corpora mundi totalia in se mutuo agant; agunt in se per materiam quendam interjectam.

### §. 2.

Cum iam satis pateat consequentia per allatum principium Metaphysicum, & praeterea hypothesin obtinere, sufficienter probatum sit a Physicis & Mathematicis modernis & recentioribus; Si non generaliter de omni corpore mundi totali; saltim particulariter de corporibus in nostro systemate solari; sequitur utique necessario; corpora mundi totalia, si non omnia, saltim ea, quae circa nostrum solum gyrantur, in se mutuo agere, idque per materiam quendam interjectam; sed non continuum ac absolutum inane.

### §. 3.

Hinc sequitur vastissima spatia Cælestia, universi systematis nostri solaris, inde a superficie solis nostri, ultra non modo Saturnum,



verum etiam remotissimos cometas, occupari ac repleri subtilissima quadam materia, quæ mediante, corpora nostri systematis omnia, mutuas in se influentias exercent, quæ materies, generali vocabulo, ætherea vocatur & in plures alias dividitur, ut luminarem & magneticae five attractivam, addunt alii gravificam & calorificam. Sed utrum spatia cælestia ætherea dicta materia densissime sint repleta, porulis vacuis interpositis prorsus nulis; an vero detur in expanso vacuum quodam disseminatum, spatiolis hinc inde sparsis ac interjectis ab omni prorsus materia vacuis; id vero est quod hoc loco in medio relinquis, affirmativam aliis, negativam aliis, sententiam tuentibus magnis viris. Vacuum defendunt Newtoniani pro quo stabiliendo a viro Magno Gravesandio argumenta afferuntur vehementer urgentia lib. 6. Elem. phys. Cap. 12. Plenum tuerit Leibnitius & qui ipsum sequuntur.

#### §. 4.

Quod si jam ea, quæ de corporibus systematis nostri in genere in tulumus, specialius enuntiemus; concludendum est solem nostrum, planetas, tum primarios, tum secundarios atque cometas in Globum nostrum terraqueum agere, per interiectam materiam ætheream magneticae & luminarem. Hunc influxum, quatenus & quamdiu ab omni determinata distantia abstrahimus de planetis & cometis omnibus enunciare possimus. Sed quam primum distantias illas, quodam modo saltim generaliter determinamus, dicendo illas esse ingentes, mediocres, exiguae; asserendum erit in casu primo; influxum esse insensibilem & prope nullum, in secundo esse sensibilem, in tertio, non modo perceptibilem, verum etiam magnum esse,

#### §. 5-

Cæterum corpora totalia systematis nostri solaris in tellurem nostram influere per materiam ætheream a luminari & magnetica diversam hactenus probare potuit nemo. Et probabile videtur inde a corporibus nostri Systematis ad terram nostram realitates transire nullas, a lumine & vi magnetica diversas; Sed realitates istas esse, ipsissimam materiam magneticam & luminarem, existente ipso æthere tanquam vehiculō fluidi magnetici & luminaris, vel ita modificate, ut per hanc modificationem refluet ipsissima vis magnetica nec non luminaris.

#### §. 6.



## S E C C O N D

5

### §. 6.

Solem in tellurem nostram mediante lumine operari, omni die experimur, qvæ operatio obtinet qvam proxime ut quadratum distantia reciprocæ a superficie solis, dico notanter qvam proxime, non enim accurate hujus quantitas hæc obtinet, nam si perfecte obtineret, singulis radiis solaribus, eandem intensitatem in esse, hoc est: singulos eadem agendi vi præditos esse oporteret cujus tamen contrarium jamdudum primus demonstravit vir Summus Newtonus & luminis radios heterogeneos esse, & singulis heterogeneis vires agendi sibi proprias inesse, argumentis evicit invictis Opt. Lib. I. & opuscul. Tom. 2. part. 1. & quantæ forent radiorum luminis homogeneorum inter se collectorum, & ab omnibus heterogeneis separatorum vires calefactivæ & combustivæ, id vero esse altioris, indaginis & haec tenus desideratam speculationem, monuit vir Magnus Boerhaavius. Præterea cum hæc operatio qvæ sit perfecte ut quadratum distantia reciprocæ obtineat tantum modo in medio omni resistentia carente; liqvet etiam ad omnimodam æquivalitatem intensitatis radiorum accedere oportere absolutum & continuum vacuum interiectum, ut dista operationis quantitas obtineat accurate. Sed cum probatum sit totum systema nostrum solare materia quadrata esse repletum, & omnis materia per vim inertiam resistat; Sequitur præter in æquales radiorum agendi vires, ad perturbandam & minuendam dictam operationis proportionem & quantitatem, medii resistentiam aliquid etiam conferre, unde tanto magis, qvam antea patet, cur dixerim hanc operationem esse qvam proxime in duplicata ratione distantia reciprocæ.

### §. 7.

Sive jam dicatur, pro ut non nulli volunt, radios solares esse ipsissimum ignem, sive prout aliis placet, eosdem penetrando ad certam usque profunditatem in alia corpora sed per alia transeundo materialiam calorificam per copora sparsam in motum concitando calorem producere; res eodem prorsus recidit et concludendum erit, calorem esse qvam proxime ut quadratum distantia telescopis a sole reciprocæ, nam in casu priore id per se patet; in posteriore quoque casu id inde constat, qvod effectus pleni sint viribus causarum suarum proportionales. Hæc caloris quantitatis in tellure universa, in quantum ea provenit a sole



sole, eatenus & tamdiu obtinet; qvatenus & qvamdiu ad situm radiorum in planum horizontale incidentium, hoc est ad obliquitates & rectitudines incidentiarum eorundem nihil attendimus, qvæ tamen ad calorem augendum minuendumve tantum contribuunt, ut, qvi in determinanda quantitate caloris solaris in loco qvodam telluris certo atque determinato, ad incidentiarum differentiam nihil attenderit, magnum nefas commisso merito fit censendus, cum per eam annus nobis dispescatur in qvatuor illas tempestates, qvas ver, æstatem, autumnum & hyemem, appellamus. Cum radius luminis veniens a sole & oblique incidens in planum horizontale, motu gemino simul moveatur, uno, qvo continuo descendit, altero, qvo continuo progreditur, hic motus utpote compositus in suos simplices resolvatur, unum perpendicularē & alterum horizontalem, concipiendo a qvocunqve puncto radii obliqui, perpendicularum in planum horizontis demissum, & qvia omnis radius agit tantum ad perpendicularum, meritur longitudi perpendiculari & exhaustit radii oblique incidentis universam vim calorificam, longitudo vero horizontalis inter punctum incidentiæ & extremitatem perpendiculari, intercepta metitur & exhaustit totam vim subtrahendam eidem radio, si perpendicularis a sole veniret, ita qvidem, ut radius perpendicularis semper minuatur vi mensuranda longitudine horizontalis inter perpendicularum & punctum incidentiæ comprehensa. Sed cum dictum perpendicularum, pro sinu recto altitudinis supra horizontem assumi possit; erit vis calorifica ex radiorum incidentia profecta ut sinus rectus altitudinis solis supra horizontem, & tota caloris quantitas in qvovis loco telluris ex distantia simul & incidentia oriunda, est in ratione composita ex directa sinus recti altitudinis supra horizontem, & duplicata reciproca distantia telluris a sole, & qvoniam qvælibet telluris loca a sole æquiter distare censenda sunt; erunt quantitates caloris eodem tempore in locis diversis inter se, ut sinus recti altitudinum supra horizontem in iisdem locis.

### §. 8.

Ex haec terus dictis seqvi videtur, calorem esse maximum, quando maximæ sunt altitudines meridianæ, minimum, quando minimæ, qvod tamen ita haud evenire, indubia testatur experientia & rationem reddunt physici cur id ita fieri neqveat ex prægresso telluris frigore

\* \* \* \* \*

frigore per hysiem, & calore per astatem, nec non excessu longitudinis dierum supra noctes; & noctium supra dies, nam si plus incrementi capiat calor per dies, quam decrementi per noctes; & vice versa; Seqvitur calorem inde continuum quoddam incrementum vel decrementum capere, ut ut dies longissimus astatis vel brevissimus hyemis jam præterierit. Et per consequens maximus calor non incidit præcise in summam altitudinem meridianam, nec minimus in minimam; sed has seqvitur. Unde liquet prius theorema tantummodo valere, quatenus ab omni discrimine dierum & noctium abstrahitur; quod si vero hoc simul in considerationem veniat; Sequens de quantitate caloris in tellure nascitur theorema; quantitas caloris in tellure quovis loco & tempore, est in ratione composita ex directa aggregati excessuum dierum supra noctes, vel noctium supra dies, ex directa sinuum rectangularium altitudinum meridianarum, & duplicata reciproca distantiarum telluris a sole. Atque ita, ruditori saltim, ut ajunt, minerva, quantitatem caloris, quem Sol in terra producit, determinavi non attento discrimine quodam inde profecto quod radius obliquus aliquanto plus occupat longitudinis & superficië, quam perpendicularis; nec satis considerato an incrementa vel decrementa caloris per excessus dierum supra noctes, vel noctium supra dies, sint accurate his excessibus proportionalia.

### §. 9.

Reliqua corpora Systematis nostri solaris a sole illuminata, aliquid lucis ad nos transmittere extra controversiam est, sed lucem hanc gradum quendam caloris perceptibilem secum ad nos ferre, haec tenus deprehendere potuit nemo. Experimentis hanc in rem inquirendum monuit primus magnus Verulamius, & quidem in luna utpote nobis proxima rem primo tentandam voluit. Cui monito obsecutus egregius Britannorum Philosophus Robertus Hooke, ejusdem plenæ lunæ radios convexo utrinque vitro, in focum adēgit eo effectu, ut lux ibidem charta excepta foret fulgentissima, cum interim directus hicce focus in Thermoscopium mobilissimum, ne minimum quidem signum caloris ignisve præberet. Vid. Boerhav. chym p. 2. p. 134 idem vitra Tschirnhausiana Parisis postea confirmarunt Vid. Act. Reg. sc. 1699. p. 110. cum itaque luna fulgentissima nec non proxima nullum perceptibilem calo-



caloris gradum producere valeat; Seqvitur omnino idem de reliquis planetis cometisque multo magis afferendum esse.

#### §. 10.

Vidimus hactenus quomodo corpora cælestia Systematis nostri in tellurem operentur lumine mediante; Supereft, ut uno verbo videamus quomodo in globum nostrum iagent mediante materia attrahente vel magnetica. Est vero hæc materia attrahens vel magnetica, vi cuius Sol cometas & planetas ad se trahit & planetæ primarii Secundarios ad se trahunt, ita quidem, ut per hanc vim in orbitis suis ellipticis retineantur, ne per tangentes indirectum aufugiant in infinitum. Magneticam hanc materiam dixerunt Philosphorum, non quod ferrum attrahat uti magnes; Sed a Similitudine quadam sui effectus cum effectu magnetis; quia quemadmodum Magnes ferrum trahit; ita corpora cælestia se se mutuo trahunt. Talis materia trahens vel magnetica datur etiam circa corpora cælestia, circum quæ tamen alia corpora totalia revolvunt nulla; ut patet exemplo planetarum satellitum, trahentium suos primarios & in specie exemplo lunæ in globo nostro producentis continuos æstus aquarum.

#### §. 11.

Cæterum, quemadmodum vires luminares; ita etiam magneticae augentur vel minuuntur, pro ut minuitur vel augetur quadratum distantiarum telluris nostræ a Sole & reliquis Systematis nostri corporibus, unde seqvitur in ingenti distantia effectum esse iusensibilem in mediocri, sensibilem, in exigua, magnum.

